

1522 augeri ; levioris armaturæ equites in Bergomati , atque Afusano agro commorari ; Olii amnis ripas sæpius excurrere , ut hac ratione oppidis , atque agris limitaneis prospiceretur : pedites ad duo millia sub Antonio Tifernate , Babone Naldo , Sevasto Narniensi Præfectis , redacti ; levioris Epirotarum equitatus dimidiæ parti missio concessa . Per hos dies Horatii Ballionii defuncti loco Camillus Ursinorum nobili familia ortus Reipublicæ militiae est adscriptus ; sexaginta auri libræ in annum tributæ ; centum cataphractorum equitum præfectura concessa . Andreæ vero Grito Legato , qui strenuam turbulentissimis temporibus Reipublicæ operam navaverat , redditum in patriam petenti , pacatis in Italia , atque in Gallia Cisalpina rebus , Senatus concessit ; qui post ingentes labores pro patria suscepitos summis laudibus ornatus , honorificentissime a gratulabunda civitate exceptus est . Atque hæc in Italia usque ad sextilem mensem gesta fuere .

Neque minus hoc anno Ottomanorum arma Reipublicæ Christianæ gravia , atque infesta fuere ; nec Veneti , qui maximos in Gallia Cisalpina labores , sumptusque subierant , Turcici belli suspicione caruere . Nam felicibus prioris anni successibus elatus Suleimanus , Christianorumque Principum continentibus bellis incitatus , opportunum tempus adesse ratus , quo animum gloriae cupidum , juventæ ardore inflammatum , nova regnum accessione ad famam supra mortales eveheret , anni initio ingentem classem , ex insula Coo , atque aliis locis multitudine fabrorum Byzantium accita , omnique navali materia comparata , moliri cœpit . Is vero rumor per Europam pervagatus omnium animos sollicitos habebat , atque illorum præsertim , qui finitimi Turcarum ditionibus erant . Complures in Italicam expeditionem parari ; huc maritimas , terrestresque vires tendere opinabantur , in quam , si semel belli faces intulisset , intestinis diffidiis laborantem , multorum Principum imperio distractam , haud difficile esset , aliquam suo imperio partem adjicere , Maumethemque æmulari , qui Hidrunte capta , ingentem Italiam terrorem , licet cito illius obitu disiectum , incusserat . Rhodum alii Suleimanum armis petiturum existimabant , erga Hierosolymitanos milites incredibili odio incensum , atque insito illas ulciscendi injurias desiderio percitum ,